EXPLANATIO DICTI CHRISTI IESV: *PATER MAIOR ME EST*:

REPETITA IN THEOLOGICA HEYDELBERGENSIS ACADEMIAE Schola, à IOHANNE IACOBO GRYNAEO: de qua in publica Disputatione, die 18 Decembris, Deo juvante respondebit

CHRISTOPHORVS VVLTEIVS.

AD

GENERE, INGENIO ET VIRtute nobilem, D. IOANNEM ROETELIVM, Gente Silesium.

Hieronymus.

Nihil tam facilè, quàm ociosum & dormientem, de aliorum laboribus & vigilijs disputare.

M. D. LXXXV.

A. T. H.

Noſſe Deum res magna, Deo confidere maior,
Maxima ſed vita teſte probare fidem.
Noſſe Deum nequeas niſi tu te noveris ipſum,
Incipit à noſtri cognitione fides.

Bernardus.

Noſſe Deum, doctum facit hominem:
Timere Deum, ſapientem.

VERE NOBILI IVVENI IOHANNI ROETELIO, SILESIO,

IOHANNES IACOBVS GRYNAEVS S. P. D.

SI INIQVA EST IN OMNI RE *accusanda, prætermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumq; selectio: vt Cicero in 3 de Legibus præclarè dixit: quis ambigat omnium iniquissimam esse eam calumniam, quæ innocenti ea affingit, quæ neq; per febrim, neque per somnium ei in mentem venerunt: & quæ, si verè alicui tribuantur, plus quàm capitalia, & cum æterni exitij periculo conjuncta forent.*

Nunquam mihi, Christo teste & judice, neq; sacra privatim meditanti, nec pro meo modulo publicè docenti in mentem venit, illa Christi Iesu verba: Nam pater maior me est, *restringere ad Deitatem Christi. Nec quisquam vir bonus illam vocem, seu publicè privatim vé à me proferri audivit: seu in qualibuscunq; Scriptis meis, illam reperit. Candidi autem & docti viri plurimi noverunt, Arianam impietatem à me viva voce & scriptis multoties esse confutatam.*

Et tamen Iacobus Andreas, (cuius erat cum timore ac tremore multo prædicare Christum crucifixum in Ecclesia & Schola Tubingensi, cujus ille servus certè, non autē dominus est) non dubitavit id publico Scripto suo (alieno tamen nomine edito) contra expressam Dei legem: Ne dixeris falsum testimonium contra proximum tuum: *de me spargere, dictum videlicet illud Christi, ad hujus Deitatem à me aliquando fuisse restrictum.*

Video autem id planè viro illi accidisse, quod Cicero dicubi dixit: Semper illi diligentissimè, laboriosissimeq; accusârunt, qui seipsos veniſſe in discrimẽ existimationis arbitrantur. *Tam multos enim, tamq; præclaros homines, vivos, mortuos, politicos, ecclesiasticos, nigris suis notis vir ille aspergere sategit: ut nihil dubium sit esse cur sui ipsum pudeat in Dei, Angelorum piorum, & Ecclesiæ conspectu: ac justo Dei judicio, ad dicendam causam non tantùm à claris hominibus: sed etiam ab ipso Deo, vocari: & hoc tempore etiam eorum, quibus cum vivit, magna parti, notum magis esse quàm charum.*

Enim verò, ut nihilominus illi ignosco, & ei precor Dei misericordiam, & ut tandem redeat ad saniorem mentem opto: sic nolim admodum ejus causa laborare, illi ut satisfaciam. Ecclesiæ, cui nunquam ἑτεροδιδασκαλίας causa suspectus fui, & piæ posteritati, honorem hunc deferre malo, & breviter ac placidè ea repetere, quæ de nobili illo Christi dicto, sæpenumerò tradidi, & posthac, Deo volente, tradam.

Tu fortassis, nobilissime Rœtel, ut me quem calumnia illa, nonnihil turbare potera', exhilares, illa tuorum Iurisconsultorum, Axiomata, mihi repetenda judicabis: Accusator præsupponitur calumniari, statim quod non probat. *Item*, Præsumitur semper quòd accusatio fiat causa invidiæ. *Item*, Accusatio de crimine non consummato fieri non potest.

Sed ut habeas Theologica Axiomata, tanquam Antidota, en tibi totidem. Iustus injusta patiens, non tam ad iram, quàm ad preces convertitur: ut dixit Gregorius. Sancti certissimè sciunt, quòd in hac vita requiem habere non possint: *ut Chrysostomus pronunciavit.* Si apud Deum deposueris injuriam,

juriam, ille ultor est: si damnum, ille restitutor est: si dolorem, ille medicus est: si mortem, ille resuscitator est: *vt Tertullianus testatus est*.

Existimo enim & tibi, ubi propediem Dei consilio in Politica gubernatione servire cœperis, non defuturos Aristarchos & Sycophantas. Nosti enim illud: ἀλλ' ἀεί τινα φῶτα μέγαρ. *Sed adversus eorum morsus nullũ aliud praestantius remedium esse experieris, quàm illud quod mundi victrix Fides subministrat, quæ testatur, id quod Psaltes his verbis docuit*: Oblecta te in Iehouah, & dabit tibi petitiones cordis tui. Devolve super Iehovam viam tuam: & confide in eo: & ipse efficiet. Et educet sicut lucem iustitiam tuam: & judicia tua quasi meridiem. Sile Iehovæ, & ipsum solicitè exspecta: nec indignator de eo qui prosperè dirigit viam suam, perpetrans quicquid decrevit. *Psal.* 37.

Dominum Iesvm Christvm *oro, ut te custodiat ab omni malo, & ut vitæ, studijsq; tuis magis ac magis benedicat. Perscriptum Heydelbergæ, die Solstitij hyberni* 1583.

I.

ERT animus ad laudem Dei magni & Servatoris nostri IESV CHRISTI, & ad nostram institutionem, hac Disputatione Theologica repetere orthodoxam & catholicam sententiam dicti istius: *Nam pater maior me est*. Ioan. 14. 28.

II.

Pendet autem hoc dictum, velut διπλολογία, à præcedenti, cuius sententia huc redit.

Qui me, ait Christus, diligunt, gaudere debent, quòd dixi me ad Patrem esse profecturum.

Vos verò, ô Discipuli, me vtiq; diligitis.

Vestrum ergo fuerit gaudere, eò quòd ad Patrem me profecturum esse, testatus sum.

III.

Maiorem probat Dominus Iesus, quum ait: Nam Pater maior me est. Itaq; & me glorificabit, & super vos, mea caussa, meoq; rogatu Spiritum gratiæ & precum effundet. Sumus enim ipso minores, quare ipse, me quidem unxit oleo exhilarationis præ participibus meis: Psal. 45. 7. vobis autem admetietur Spiritum sanctum. Ioannis 3. 34. 1 Cor. 12. 7. Sicut ergo etiam inter homines, ei qui minor est, ab eo quod maiuseſt benedicitur, Heb. 7. 7. Ita me, qui minor sum, unxit Deus Pater Spiritu sancto & potentia, Actor. 10. 38. glorificabit autem me, & dextera sua evehet, & collocabit ad dexterã maiestatis illius excelsissimæ. Act. 3. 13. & 2. 33. Heb. 1. 3. Idem præstabit, vt recipiatis virtutem Spiritus sancti, postquam supervenerit in vos: & ut testes meos agatis, Actor. 1. 8.

Vos

Vos enim ex eorum numero estis, de quibus prídem dixi: *Pater meus qui eas (oviculas) dedit mihi, maior omnibus est*. Ioan. 10. 29.

IIII.

Iam singulas partes Propositionis huius: *Pater maior me est*, primum διδασκαλικῶς, deinde κατασκευαστικῶς, postremò ἀνασκευαστικῶς, tractabimus: freti vnici illius nostri Doctoris Iesu Christi magisterio & ductu.

V.

Subiectum in illa Propositione est: *Patris* nomen, quod, quum respectu vnigeniti illius Filii, qui est splendor gloriæ & character personæ illius, prædicetur: non essentialiter, sed personaliter: nec ratione adoptionis, sed ratione communis naturæ, prædicatur de prima persona sacrosanctæ & individuæ Triados, quę est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, qui tres vnum sunt. 1. Ioan. 5. 7.

VI.

Attributũ est: *Maior me est*: id est superior & præstãtior est me, auctoritate. Seruus n. nõ est maior Doĩo suo: neq; etiam legatus maior eo qui misit ipsum. Ioã. 13. 6. Ego verò (si quis officiũ meũ, hoc tempore summissionis & obediẽtiæ meæ vsq; ad mortem crucis, spectet,) Seruus & Legatus Patris mei sum: de quo dictum illud Isaiæ, 42. 1 *Ecce seruus meus, innitar ei, electus meus, in quo sibi cõplacuit anima mea: dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.*

VII.

Comparatiuus MAIOR, relationem, & auctoritatis superiorem gradum denotat, qui ei propriè

priè cõuenit, qui de Filio cælitus teſtatus eſt: *Hic eſt Filius ille meus dilectus, in quo acquieſco: ipſum audite.* Matthei 16.5. & qui vt in filio glorificatus eſt, ita quoq; glorificavit eum. Ioan. 13.32.

VIII.

Pronomen ΧΣ, deſignat Dominum Ieſum Chriſtum θεάνθρωπον, qui eſt Filius Altiſſimi, factus ex ſemine Davidis, ſecundum Carnem: & declaratus Filius Dei potenter, ſecundum Spiritum ſanctificationis: ἀπάϛως, reſpectu humanitatis: ἀμήτωρ ratione Deitatis, in una perſona: & eſt noſter Rex, Propheta & Sacerdos, ſi officium Mediatoris & Salvatoris conſideres. Luc. 1.32. Rom. 1.3.4. Hebr. 7.3.

IX. κατασκευή.

Si Caput Chriſti Deus Pater eſt, tum ſequitur hunc illo eſſe maiorem, ſeu ſuperiorem.

Cæteris enim paribus. Sicut Chriſtus Ieſus, quia caput Eccleſiæ eſt, & dat ſalutem corpori, Ephe. 5.23. ideò maior ſeu ſuperior ea eſt: ita quia caput Chriſti Deus Pater eſt, hactenus ſuperior eſt Pater ſuo Filio. Hæc ratio à Capitis & Membrorum: Superioris & Inferiorum proportione ducitur.

Verum eſt quod antecedit. Nam diſertè dicitur: 1 Cor. 11. 3. *Velim autem vos noſſe Chriſtum eſſe omnis viri caput: caput autem mulieris virum: caput vero Chriſti Deum*, videlicet Patrem.

Argumento autem ſunt omnia illa Chriſti dicta, in quibus ſe à Patre datum & miſſum eſſe: in ijs quæ Patris ſunt, verſari: voluntatem Patris præſtare: à Patre glorificandum eſſe: ad Patrem iturum

ſurum eſſet à Patre omnẽ auctoritatem in cœlo & terra accepiſſe: non ſuum, ſed Patris eſſe collocare ad ſuam dexteram & ſiniſtram: iudicij diem ſeſe neſcire, fatetur. Denique plurimum huc facit & illud: *Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum: ad Deum meum, & ad Deum veſtrum.* Ioannis 20. 17.

Verum ergo eſt & quod ſequitur.

X. ΑΝΑΣΚΕΥΗ.

Ariani & eorum poſthumi Eunomiani, olim, hoc idem illuſtre dictum, *Pater maior me eſt*, ſceleratè detorſerũt ad negandam ὁμοουσίαν æterni Patris & Filiſ: & ad ſtatuendam ſeu ὁμοιουσίαν, ſeu ἑτερουσίαν eorundem.

XI.

Sic autem illi argutabantur:

Maior & Minor ſunt impares & ἑτερόσιοι.

Pater maior eſt Filio:

Sunt igitur impares: Et per conſequens,

Non ſunt coëſſentiales, coæterni & ὁμότιμοι.

XII.

Ad hoc ſeptologema Athanaſius in Symbolo ſuo reſpondet, adhibita diſtinctione Naturarum, quarum reſpectu, Filius etiam ſeipſo maior & minor eſt: nedum Patre minor.

Æqualis, ait ille, *Patri, ſecundum Deitatem, Minor Patre, ſecundum humanitatem.*

XIII.

Gregorius Nazianzenus, in 1. & 2. Oratione de Filio Dei, & eius frater Cæſarius in Dialogo 1. Patrem Filio maiorem dici aiũt, non quà hic Deus eſt, ſeu in forma Dei: ſed quà Filius eſt, cui Pa-

ter origine & ordine præit. Eo nomine Patrem cauſſam illi Patres vocant.

Elias Cretenſis illorum verba exponens, adducit Baſilij Magni dictum: *Patris vocabulum nihil aliud ſignificat, quàm quòd cauſſa ſit, atq; principium eius qui ex ipſo genitus eſt.* Patrem igitur ἄιτιον vocat, Filium ἀιτιατόν.

XIIII.

Sed enim quia non tantùm quid piè, vereq; ſed etiam quid in tempore, locoq; dicatur, conſiderandum nobis eſt: etſi vera dicunt Athanaſius & Gregorius: tamen huic dicto maximè conuenit, ea ſententia, quæ ducitur à diſcrimine officij & perſonæ mittẽtis & exaltantis, & perſonæ miſſæ, humiliatæ & exaltatæ: cuius reſpectu Patrem maiorem eſſe Filio ſæpiſſimè indicatur. Nota ſunt pijs hæc & ſimilia dicta: *Pater meus, qui eas mihi dedit maior omnibus eſt.* Ioan. 19.29. *Caput Chriſti Deus eſt.* 1 Cor. 11.3. *Filius ipſe ſubijcietur ei qui ſubiecit illi omnia.* 1 Cor. 15.27.

XV.

In promtu autem cauſſa eſt, cur magis hæc poſtrema enarratio dicto Chriſti congruere videri poſſit. Etenim Chriſtus vt Diſcipulos ſuos exhilararet, ad Patrem, qui maior eſſet, ſe abiturum dixit, quòd hic abitus, ipſi quidem gloriam inenarrabilem, Apoſtolis verò donorũ Spiritus ſancti incrementa, eſſet allaturus à Patre luminum, qui Filio traditurus erat omnem auctoritatem in cœlo & in terra, Matth. 28. 18.

Eius qui maior eſt, proprium adiunctum eſt, cæteris qui inferiores ſunt bona dona dare: Pater Filio omnem auctoritatem dedit: & huius

ius cauſſa, Spiritum ſanctum effudit in Apoſtolos & alios fideles: ac vt id fiat, ad Patrem, ait Chriſtus mihi eſt eundum.

Quare Pater maior eſt, &c.

XVI.

Ad Sophiſma Arij & Eunomij ita reſpondet Gregorius Nazianzenus: *Enimuerò arbitror hunc paralogiſmum eſſe à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Nam quum nos cauſſa naturam maiorem eſſe concedimus, ſubijciunt illi, Patrem natura eſſe maiorem. Perinde ac ſi nobis dicentibus, ille homo mortuus, inferrent hoc ipſum de homine dici.* In Oratione 1. de Filio.

XVII.

Nos ad idem Sophiſma ſingillatim ita reſpondemus.

Primùm in maiore eſt tùm Principij petitio. Non enim illa vniuerſalis eſt, vt vel ex hac Inſtantia liquet. *Serus non eſt maior Domino ſuo, neq; legatus maior eo qui ipſum miſit.* Ioan. 13. 16. Poſſunt enim hi omnes eſſe ὁμοούσιοι: tùm fallacia Accidentis, Nam quod de relatione diuerſa & officijs diſtinctis aptè dicitur, id ad naturæ ſeu ſubſtantiæ diuerſitatem non debet detorqueri.

In Minore eſt Paralogiſmus à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter. Chriſtus Ieſus enim non quà Deus æternus eſt, ſed quà homo & quà Mediator inter Deum & Homines eſt, Patre minor eſt.

XVIII. Aliud Sophiſma.

Non ſunt vnum eſſentia, qui pares non ſunt.

Atqui pares non ſunt Pater & Filius: nam ille maior, hic autem minor eſt.

Quare non ſunt vnum eſſentia.

Ad

Ad hoc Sophisma rectè respondet Theophylactus, τὸ δὲ μείζονα εἶναι τὸν πατέρα, οὐ ποιεῖ ἀντόνησιν ἑτέρας οὐσίας εἶναι. Nam si gratia exempli, homines spectes, etsi Pater maior est Filio, non tamen alterius naturæ est.

XIX.

Pater & Filius & Spiritus sanctus vnum sunt, videlicet essentia: quia Iehouah vnus est. Deut. 6. 4. Augustinus piè dixit: *Pater est totius Deitatis principium.* De Trinit. lib. 4. Item, *Pater non est vnus, ed vnum cum Filio:* De fide Symb.

XX.

Tres sunt qui testificantur in cœlo Pater, Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. 1 Ioan. 5. 7.

XXI.

Hoc ergo dictum Seruatoris Christi: *Pater maior me est*, ad Sermonem est quà is Deus est naturâ, nõ restringimus, nec vnquam restrinximus: sed & ad officium referimus: quia Christus Iesus, quà est Pontifex & Apostolus nostræ professionis, minor est eo à quo constitutus est Pontifex & Apostolus, cui etiam fidelis esse dicitur. Hebr. 3. 1.

XXII.

De Persona autem Iesu Christi, deq; eius vera & perfecta tum Deitate tum Humanitate, corde credimus & ore profitemur ea, quæ verbo Dei scripto continentur, & repetita extant in Symbolis Apostolico, Niceno, Athanasiano, & Chalcedonensi.

XXIII.

Valdè autem probamus hæc dicta, quæ in Iuniorum gratiam, coronidis vice aspergimus.

Trinitas

Trinitas ad personas refertur, vnitas ad Naturam. vt Augustinus de Fide differens, docuit.

Vbi quæritur vnitas Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nec periculosius alicui erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Non piguit me, sicubi hæsito, quærere: nec pudebit, sicubi erro, discere. De Trinitate, lib. 1.

Verecundè etiam apud Platinam, Pius 2. pronunciauit: *Vnius diuinitatis tres esse personas, non quæritur probetur, sed à quo dicatur, animaduertendum.*

Heydelbergæ 1585. 12 Decembris.

Deo soli Laus & Gloria.

FINIS.

ERRATA.

Thesi XXI. pòst Sermonem, dele, est.

HEYDELBERGAE
Typis Iacobi Mylij.